

1426

Genua summum magistratum sustulerit, eoque sublato, fræna potentissimæ urbi injecerit. Nec illud ignoratis, quam perdita fiducia nos legibus pacis obnoxios improviso bello fregerit. Qui totiens igitur jura divina & humana perversit, is (quis non videt?) plane docet, pro infectis habenda, quæ cum perfido sanxeris. Sed jam tacitus consensus vester efficit, ut propemodum intelligam, persuasum vobis esse: non nostræ Reipublicæ præsidium magis bac mea oratione peti, quam vobis incolumitatem, successum, & amplitudinem: quibus perfidus ille, sagax, astutus, rei bellicæ peritissimus, fido milite, ærario, amplisque vectigalibus fretus, non minus audax quam paratus imminet, tanti per dum res nostras penitus afflixerit, in vos bellum dilaturus. Nec vos, quia plus non posse videamur, a nostra societate abstinete. Quanquam enim magnas profuderimus opes, adhuc majores, si non publicæ, privatæ super sunt, quas pro libertate retinenda ultro effundere parati sumus. Jungite igitur arma, jungite vires: vestram nostramque libertatem, Rempublicam, patriam, pio consilio, pioque fœdere servate. Nam quod ad illud transigendum attinet, nullas damus conditiones, nullas a vobis dandas recusamus. Quum dicendi finem Laurentius fecisset, ita Patrum animos illius versarat oratio, ut non Senatorum inter se, sed singulorum etiam variæ essent sententiæ: hinc Philippi potentia periculoque Reipublicæ, inde Florentinorum æmulatione & impensa belli gravissima alteruantibus. Placuit itaque, non prius responsum dari, quam Philippi legati audirentur: qui ne eorum quæ Laurentius dixisset ignari, parum objecta diluerent, senatorum plerisque est negocium datum, qui privatæ necessitudinis specie Mediolanensibus omnia, quæ ille dixisset, denunciarent. Quo contigit, ut dato illis Senatu, Johannes Aretinus ab humanarum literarum studiis non abhorrens: patrio quoque ad id sermone adjutus, permittere collega, in hunc fere modum sit locutus.

Quæ res, quæve causa Philippum Mediolani Ducem impulerit, ut nos ad te, Princeps illustris, sanctissimum-

que

Patrum  
sententiæ.